

1336. 16 Mai.

Ed. Ms. C. int. Sandominul.

In Nomine Domini Amen. Ne ea quae comodo et utilitate Regum Magnificentiae,
et pro alleviatione personarum eis subiectarum bona deliberatione fieri permittun-
tur, in oblivionem hominum deducantur, expedit, ut eadem amentur per so-
lemnem titulum literarum. Hinc est, quod Nos Kazimirus Dei gratia Rex Polo-
nia, nec non terrarum Cracoviae, Sandomiria, Siiradia, Suiavia, Lancicie, Pome-
ranieq; Dominus et Haeres notum facimus universis et singulis notitiam
presentium habituris, Quod fatigationem et vexationem Civium et in habitan-
tium in Villis omnibus Iuris Theutonici, Districtus et Territorii Sandomiri-
ensis, zelo compassionis attendentes, quia plerumq; Cives Sandomirienses et
inhabitantes Villarum Iuris Theutonici Districtus ipsius pernotati per si-
tationes, et quascumq; Vexationes, Cracoviam, et per alia loca extranea, labo-
ribus et expensis non modicum gravabantur, de maturo et salubri Baronum
nostri consilio super premisis, de remedio eis providentes opportunum, taliter
tenore presentium duximus decernendum videlicet, quod omnes Cives et eorum
singuli dictae Civitatis Sandomiriensis, et inhabitantes Villas, Castra, Opida, Ju-
ra Theutonico collocata, in Districtu et Territorio Sandomiriensi, ad nullius
hominis penitus instantiam, cujuscumq; status vel conditionis existat, extra
sua loca, ea inhabitantes, per quemcumq; modum et colorem, nullatenus
evocari, trahi, et citari debent, Sed tantum modo per quemcumq; taliter e-
vocati, trahi, seu citati, ad instantiam cujuscumq; coram ipsorum Advocato
vel Sulteto loci ipsius, et non alias respondere tenebuntur, In causis gra-
vibus et magnis, vel quae laes emergent, et etiam si qui per nostram li-
teram citati et evocati fuerint, per Advocatum Sandomiriensem, et per il-
los qui ad deputandi fuerint, Iure suo Theutonico in Castro nostro Sandomi-
riensi iudicabuntur. In cuius rei testimonium presentes literas scribi et no-
stri sigilli appensione iussimus roborari. Actum Cracoviae in Octava San-
cti Stanislai Anno Domini MCCCXXX Sexto. Presentibus Nobilibus No-
stris Spicimiro Castellano, Nicolao Palatino Cracoviensibus, Disceigneo Gado-
miensi, Dierztone Chechoviensi, Warbio Woyniciensi, Castellanis, Andrealle-
natore Cracoviensi, cum aliis testibus fide dignis. Datum ut supra per
manus Domini Segnei Praepositi Michaelis Vice-Cancellarii Nostri.

L. S.

11

21

22

Faint, illegible handwriting covering the page, likely bleed-through from the reverse side.